

ex parte rei cognitæ cognoscit unam esse simpliciolem alia, et mensurativam illius.

XIX. Ex quo manet solutum fundamentum Vazquez, constat enim quod mensura quantitatis debet esse notificativa alterius non via remotionis, et imperfectionis, sed via perfectionis, et reducendo mensurata ad uniformitatem mensuræ, constat autem ex dictis quomodo utatur intellectus simpliciori duratione Angeli, quæ est ævum ad cognoscendum alias durationes minus uniformes, et simplices, non quidem ut absolute, et entitative cognoscantur, sed comparative respectu uniformioris durationis.

XX. Ad fundamentum, ergo p. Suarez concedimus, quod ævum est duratio indivisibilis, sed non quomodocumque, sed uniformior, et simplicior aliis. Et ideo licet intrinseca rei duranti, tamen comparative ad alias durationes potest fundare relationem mensuræ, imo hoc est commune omnibus mensuris, quod in se subjective sint aliquid absolutum, et comparative ad alia respectu quorum habet majorem uniformitatem, et sic fundat relationem mensuræ. Quod vero dicitur ævum esse indivisibile, respondetur formaliter esse indivisibile, habere tamen virtualem divisibilitatem, quatenus permanentia unius potest esse minus uniformis, et simplex quam alterius etiam in substantia, non quidem quatenus substantia Angeli consideratur præcise in ordine ad se, sed quatenus est radix operationum, quæ in uno sunt minus uniformes, quam in alio, et consequenter ipsa etiam substantia, et ejus duratio minus est uniformis radicaliter, sicut operatio formaliter.

XXI. Ad confirmationem respondetur, quod inter duas durationes indivisibiles non potest cognosci quantitas unius per aliam, si nullam

habeant latitudinem, nec formalem, nec virtualem, si autem habeant aliquam saltem virtualem, et præsertim, si una sit minus uniformis quam alia, bene potest una esse mensura alterius etiam extrinseca, non obstante, quod una æqualiter duravit cum alia, quantum ad extensionem durationis, quia simul illæ res productæ sunt, sicut licet omnes motus cæli simul incæperint, tamen unus est mensura alterius, quia uniformior altero, ut diximus.

ÆVUM EST TANTUM UNUM

XXII. Qui existimant ævum nihil aliud esse, quam durationem absolute sumptam, non possunt ponere unum tantum ævum pro omnibus Angelis, et rebus incorruptilibus, necessario enim sunt tot durationes, quot existentia, et tot existentia, quot substantia. Qua etiam ratione in rebus mutabilibus, quæ mensurantur tempore, si tempus accipitur solum pro duratione absoluta cujuscumque motus non potest esse unum tantum tempus, sed tot quot sunt motus durantes, qua ratione dixit Augustinus XI confession. c. XXIII: « Quod quando stetit sol tempore Josue, sol stabat, sed tempus ibat, » quia tempore confecta est illa pugna, sumit enim tempus, large pro quacumque duratione motus, non pro duratione motus regularis, qui est in primo mobili. Et hanc sententiam sequitur Suarez disp. L, met. sect. VI, n. XI, et XIII, secutus Henricum quodlib. V, q. XIII.

XXIII. Cæterum sumendo ævum non pro qualibet duratione rei interruptibilis, sed pro duratione maxime regulari, et uniformi, sententia est D. Thomæ dari unum ævum, quod inter omnes durationes angelicas sit uniformius, et simplicius,

sicut tenet in II, dist. II, q. II, art. II, et in præsentis articulo VI, et quodlib. V, art. VII, dicit: « Aliquos affirmare quod quodlibet æviternum habet suum ævum. Sed hi, inquit, propriam vocem ignorant, sic enim esset verum, quod dicitur si omnia æviterna essent æqualia. » Et communiter sequuntur Thomistæ Capreolus in eadem dist. II, Cajetanus, Bagnez, Nazarius in præsentis articulo VI. Scotus autem in eadem distinctione II, qu. III, in eam sententiam videtur inclinare, quod in omnibus Angelis præter infimum est aliqua ratio ævi, quia est duratio uniformior, et simplicior, quam in suis inferioribus, et ita comparatur ad illa, ut mensura. Atque ita in supremo Angelo est ævum pure mensurans, et non mensuratum ab alio superiori, in infimo Angelo est duratio mensurata, et non mensurans. In intermediis autem est ævum mensurans, et mensuratum, mensurans quidem respectu inferioris, mensuratum autem respectu superioris. Omitto opinionem Durandi in II, dist. II, quæst. V, et aliorum Nominalium, qui negant durationi Angeli rationem mensuræ, quia non habet rationem quantitatis, nisi prout concipitur ad modum nostri temporis, quia hoc jam supra impugnatum est.

XXIV. Sententia ergo D. Thomæ in duobus fundatur. Primo, quia præsupponit non omnes Angelos esse æquales in perfectione suæ substantiæ, et consequenter neque in immutabilitate, et simplicitate durationis, neque dari duos positive æquales, et supremos, et sic non posse reduci modum durationis ad duo æque uniformia, sed solum ad unum. Mensura autem alicujus rei debet esse, id quod perfectissimum est, et maxime uniforme si simpliciter, et absolute sit mensura, alias solum erit mensura secundum quid.

Cujus rationem reddit philosophus X met. text. III, et Div. Thomas ibi lect. II, quia mensura debet esse omnino certa in illo genere, in quo est mensura, si enim accipiat mensura id, quod potest admittere aliquam incertitudinem erit mensura fallax, et non poterimus in illa sistere, sed oportebit recurrere ad aliam superiorem mensuram, ut certificemur. Et ita illa erit simpliciter mensura, ubi simpliciter certificamur in illo genere, illa autem alia non erit mensura, nisi secundum quid: sicut etiam videmus in tempore, quod quia est unus motus simpliciter uniformior reliquis, scilicet motus diurnus primi mobilis, ideo datur unum tantum tempus simpliciter, ad cujus uniformitatem reliquas durationes motuum reducimus.

XXV. Secundum, in quo ista sententia fundatur est in assignando quantitatem in durationibus angelicis. Quæ ut supra satis dictum est non est quantitas formalis, sed virtualis, quæ sumitur, vel ratione permanentiæ et continuationis in esse, quia non transit duratio Angeli transeunte tempore, vel instanti temporis, et sic æquivalet quantitati, et successioni temporis. Vel attenditur ista quantitas virtualis penes majorem, vel minorem simplicitatem, et immutabilitatem in duratione Angeli. Nam licet omnes eodem instanti fuerint producti, et tantum duraverit unus, quantum alius, tamen ratio mensuræ non constituitur penes hoc, quod unum duraverit amplius quam aliud, sed quia uniformius, et simplicius, sicut in motibus cælestibus apparet, quod licet omnes in eodem puncto incæperint, tamen quia unus est uniformior, et simplicior aliis, dicitur mensura illorum. In quo autem consistat ista major uniformitas in quantitate virtuali durationis unius Angeli præ alio ex supra dictis ex-

plicari debet, quia in substantia Angeli duo considerari debent, scilicet id quod habet formaliter, et id quod habet radicaliter. Formaliter est substantia quædam carens omni divisibilitate et parte, mutabilis quidem ab extrinseco agente, scilicet Deo, vel per creationem, vel per annihilationem, nequaquam tamen in se corruptibilis, et in hoc conveniunt omnia entia incorruptibilia. Radicaliter natura angelica est principium diversarum operationum, et quia operationes istæ possunt esse magis, vel minus simplices, aut immutabiles, etiam substantia, seu natura in quantum principium, et radix illarum, conjungitur diversæ mutabilitati, vel simplicitati, et sic admittit majorem, vel minorem uniformitatem, et illa duratio, quæ est uniformior, id est, simplicior, et immutabilior in mensurando durationem talis naturæ, et radicis, est mensura aliarum minus uniformium, quia semper in superioribus magis unita sunt, quæ in inferioribus dispersa, major autem unitas, et uniformitas, mensura est eorum, quæ pluralitatem, aut difformitatem habent. Pertinere autem ad uniformitatem, et rationem ævi radicalem rationem operationis infra ostendemus tractando, in quo subjecto sit ævum, et manifeste asseritur a D. Thoma quodlib. v, art. vii, in fine corporis.

XXVI. Ex quibus colligitur dari in Angelis sufficiens fundamentum, ut detur unum ævum, sicut in rebus mobilibus, et motibus, ut detur unum tempus, eo quod in Angelorum durationibus datur major et minor uniformitas, aut simplicitas ratione explicata, et in his non est procedere in infinitum cum Angelorum numerus finitus sit, nec possumus devenire ad duos, vel plures omnino æquales, sed omnes inæquales sunt, et unus alio perfectior, ergo

oportet sistere in uno supremo, ultra quem non sit alius, et ille erit simplicissimus, et uniformissimus, et consequenter duratio ejus habebit rationem mensuræ simpliciter in illo genere durationum æviternarum, sicut simplicissimus, et uniformissimus motus in cælo qui est divinus, mensurat omnes.

XXVII. Sed objicies: Esse magnam differentiam inter ævum, et tempus, quia ævum in omnibus æviternis est ejusdem rationis, quantum ad simplicitatem, et immutabilitatem, quia nihil corrumpitur, vel alteratur de illa substantia rei æviternæ, et quantum ad qualitatem, quia unus Angelus non est antiquior alio, nec causa alterius, motus autem cæli est antiquior aliis motibus, et causa eorum, et sic non mirum, quod sit mensura, in supremo mobili, imo si recte perpendamus, tempus non est unum tantum, sed plura, nam etiam motus solis, et lunæ designant nobis tempora, et menses, et annos. Unde dicitur Psal. ciii: *Fecit lunam in tempora*. Respondetur ex dictis, quod omnia æviterna habent immutabilitatem quantum ad carentiam motus in sua substantia, non tamen quantum ad radicem illius in suis operationibus, et ita non habent eandem simplicitatem, et uniformitatem in duratione, sed quædam sunt aliis perfectiora, et simpliciora, quia hoc ipsum, quod est fundare, et radicare simpliciores seu uniformiores, et minus multiplicatas operationes, majoris immutabilitatis, et uniformitatis est; et cæli qui etiam mensurantur ævo, et corpora gloriosa multo minus simpliciora, et uniformiora sunt Angelis, licet incorruptibilia. Quod vero in quantitate durationis sint æquales, est per accidens, nam etiam omnes motus cæli æquales sunt in duratione, quia incœperunt eodem instanti, et tamen ab uniformiori motu primi mobilis

mensurantur. Quod vero dicitur non esse unum tempus, respondetur nullum motum etiam solis et lunæ esse ita regularem et uniformem, sicut motum primi mobilis, si quidem diurnum motum quem habent sol et luna non a seipsis habent, sed rapiuntur in illo a primo mobili. Proprii autem eorum motus indigent regulari per dies, ex quibus conficiuntur menses et anni, motus autem dierum et horarum est a primo mobili. Dicuntur tamen sol, et luna esse in signa et tempora, quantum ad manifestationem secundum distinctionem lucis et tenebrarum, veris vel hiemis quam faciunt non quoad regularitatem motus diurni.

XXVIII. Sed restat difficultas in assignando subjecto determinato ævi, quodnam sit. Quæ difficultas oritur supposito, quod supremus omnium Angelorum fuit Lucifer qui cecidit, et magnum videtur inconveniens, quod in ipso tamquam in subjecto sit mensura, qua omnes Angeli mensurantur, et quasi ei subjiciuntur. Ex alia vero parte Angelus per peccatum nihil de naturalibus amisit, sed totam perfectionem, quam ante habebat retinuit, ergo sicut antea habebat simplicioram durationem præ cæteris, ita et post peccatum. Erat autem ante peccatum in illo tamquam in subjecto ævum; ergo etiam post peccatum, si quidem ratione immutabilitatis in duratione, et majoris uniformitatis ævum convenit Angelo.

XXIX. Propter hoc divisi sunt auctores in assignando subjecto ævi. Et ommissa eorum sententia, qui posuerunt ævum subjective esse in Deo, sicut tempus non est subjectivum in aliqua re corruptibili, sed in ipso cælo, constat enim ævum esse mensuram creatam, et consequenter subjective debere poni in aliquo creato. Ommissa inquam hac sententia, aliqui existimarunt ævum simplici-

ter, et omnibus consideratis esse in anima Christi. Quam sententiam defendit Nazarius in præsentis articulo vi, contro. i, eo quod existimat rationem ævi inchoative tantum constitui penes perfectionem naturalem, compleri autem per gratiam, quæ reddit naturam magis elevatam, et uniformem, et propinquiorem æternitati. In hoc autem genere gratiæ excedit anima Christi omnes Angelos. Pro qua etiam sententia citantur aliqui Thomistæ suppresso nomine a Pereiro, lib. xii de principiis rerum naturalium, c. xiv. Alii existimant nullum esse inconveniens, quod ævum subjective sit in Lucifero ob rationem factam, quia naturalia omnia manserunt integra in dæmonibus. Quæ sententia arridet Durando in ii, dist. ii, qu. v, n. xvi, et eam clare sequitur m. Bagnez hic art. vi, dub. i ad secundum, et Zumel, super eundem articulum.

XXX. Cæterum neutra sententia conformis est D. Thomæ. Non prima, quia anima Christi excedit in donis supernaturalibus omnes Angelos, sed in naturalibus minoratus est paulo minus ab Angelis: unde operationes Christi extra visionem beatificam, etiamsi supernaturales sunt, in modo tamen operandi, quia conformantur modo naturali, minus universaliori modo procedunt, quam operationes Angeli, sicut de speciebus scientiæ infusæ animæ Christi docet D. Thomas iii p. q. xi, art. vi, et sic minus rediguntur ad unitatem, et uniformitatem, quam species Angelorum, ergo ex excessu in donis supernaturalibus non variatur mensura naturalium durationum præsertim ipsius substantiæ, quæ non redditur simplicior substantialiter ex elevatione illa supernaturali, quæ accidentaliter est. In præsentis autem loquimur de mensura propria, et homogenea naturalium durationum rerum incorrup-

tibilium, quibus non est dubium correspondere suam propriam mensuram, sicut daretur in Angelis si essent in puris naturalibus. Hæc autem non potest tolli per supernaturalem elevationem gratiæ, natura enim perficitur per gratiam, sed non destruitur: ergo neque mensura naturalis destrui debet. Hæc autem mensura naturalis vocatur ævum, neque enim alio nomine nominatur. Nec valet dicere, quod anima Christi non solum habet gratiam, et dona supernaturalia accidentalia, sed etiam substantiale esse divinæ existentiæ, quod in sententia D. Thomæ communicatur naturæ assumptæ, et consequenter duratio divina, quæ non distinguitur ab existentia, ergo talis duratio poterit esse subjectum ævi respectu aliarum durationum substantialium. Respondetur enim quod licet existentia divina communicetur animæ Christi, non tamen communicatur modo infinito, et omnino immutabili, sicut est ipsa duratio divina in se, et ideo ex parte communicationis, seu unionis subjicitur mensuræ creatæ, quæ est æternitas participata, ut supra diximus articulo primo. Non tamen est subjectum ævi, quia ævum est mensura naturalis ordinis, et convenit rebus incorruptibilibus independentem ab unione hypostatica, quæ supernaturalis ordinis est.

XXXI. Secunda vero sententia est expresse contra D. Thomam, opuscul. xxxvi, cap. v, et quodlib. v, artic. vii, ubi expresse negat ævum subjectum esse in Lucifero, eo quod per peccatum operationes illius, ita sunt aversæ a fine ultimo, quod amiserunt simplicitatem, et uniformitatem suam, et magis multiplicatæ sunt, et minus unitæ, eo quod ab unitate illius finis indivisibilis ad multitudinem conversæ sunt. In cujus signum dicitur Ezechiel xxviii de supremo Angelo: *In multitudine*

negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate et peccasti. Cum ergo ævum sit mensura substantiæ angelicæ, non quomodocumque, sed ut est radix operationum, ut Sanctus Thomas docet quodlib. v, citato, artic. vii, quanto majori mutabilitati operationum conjungitur, tanto magis recedit ab uniformitate ævi, et consequenter non est aptum subjectum pro fundanda ratione mensuræ. Dicitur autem mensurare durationem substantialem, quatenus est radix operationum, quia ævum, ut constat ex ejus definitione tradita a Cajetano hic articulo vi: « Est unitas vitæ immutabilis mutabilitati conjuncta. Nomine autem vitæ non intelligitur sola substantia vivens, sed etiam operatio vitalis, seu natura, ut est radix operationum vitalium, sic enim mutabilitati conjuncta est in vivo, id est, in se movendo. Unde quando Angelus per peccatum deficit a simplicitate, et uniformitate, et reducitur ad multitudinem, et consequenter ad minorem uniformitatem, et propterea ex peccato non solum amisit Lucifer gratiam, sed etiam multiplicior, et deformior est redditus, quam si non peccasset, in suis operationibus, vel etiamsi mansisset in puris naturalibus, nam si in illis maneret, et non peccasset, etiamsi alii essent in gratia adhuc esset subjectum ævi, quia non cecidisset a majori ad minorem uniformitatem in operando, sicut de facto cecidit Lucifer recedendo a fine ultimo vero, qui est magis indivisibilis, et unitus in movendo, et trahendo omnia ad se, et operationes petit magis uniformes. Neque obstat quod in speculabilibus manserit, sicut antea æque perfectus, sufficit enim, quod in practicis, ita sit mutatus, quod majorem mutabilitatem, et deformitatem in operationibus incurrerit, sic enim est conjunctus majori mutabilitati, et deformitati

ex illa parte, scilicet ex parte practica, et operationum liberarum, non enim requiritur, quod omni parte reddatur mutabilior.

XXXII. Quapropter cum D. Thomas citatis locis restat dicendum, quod ævum prout est naturalis mensura durationem subjective est in supremo bonorum Angelorum, qui simpliciter retinuit majorem uniformitatem in suis operationibus vitalibus, nec decidit ab ea quam habebat, ævum autem est mensura vitæ immutabilis cum aliqua mutabilitate conjunctæ. Ubi ergo conjungitur minori mutabilitati, ibi est uniformior duratio. Nec est inconveniens, quod ævum possit mutare subjectum materialiter loquendo, nam formaliter non mutat. Dicitur enim subjectum ævi formaliter illa vita immutabilis, quæ minori mutabilitati conjuncta est, ubicumque hoc invenitur, sicut locus dicitur superficies ambiens in tali distantia, quæcumque superficies illa sit materialiter, et in individuo, et sic si ille, qui est supremus Angelus, et minori mutabilitati conjunctus reddatur mutabilior, quam ille, qui sibi est inferior, amittet illa duratio superioris Angeli rationem ævi, seu mensuræ, quæ petit majorem uniformitatem, et duratio inferioris Angeli, quia manet uniformior, dicitur ævum tamquam mensura.

ARTICULUS III.

Quid de tempore discreto?

I. Tempus discretum vocatur illa mensura, quæ constat ex pluribus indivisibilibus operationibus, quarum una succedit alteri, sine motu fluente intermedio, sicut enim si plures motus interrumpantur in rebus corporalibus consurgit ex illis tempus interruptum, seu discretum

in contrapositionem temporis continui, quod petit durationem motus non interruptam, sed continuatam, ita in spiritualibus substantiis cum dentur plures operationes sibi succedentes quarum quælibet indivisibilis est, utpote carens partibus successivis, ideo ex ista pluralitate operationum sine continuitate succedentium, dicitur nasci tempus discretum, quod quidem vocatur tempus non ratione continuationis, sed quia habet plura nunc, id est, plura indivisibilia, seu plures indivisibiles operationes, discretum autem, quia illa plura indivisibilia non continuantur, neque continuant partes motus, sed una indivisibilis operatio sequitur post aliam, et ideo discreta sunt. Dari autem hujusmodi operationes in Angelis constat, nam quædam operationes sunt in Angelis omnino naturales, et coævæ illis (loquimur de operationibus naturalis ordinis) sicut intellectio, et amor sui. Et tales operationes, quia nunquam interrumpuntur in Angelo nec variantur, eodem ævo mensurantur quo sua substantia, cui sunt coævæ, sicut alia accidentia, ut potentia. Aliæ sunt operationes immanentes, quæ pro libertate Angeli variantur, sicut sunt intellectiones aliarum rerum, et affectiones, operationes etiam transeuntes, sive distinguantur ab immanentibus, sive non, constat enim in his operationibus recipere Angelos mutabilitatem, et variationem, cum possint de novo aliqua intelligere, aut velle, vel ab eo cessare. Sunt autem indivisibiles istæ operationes, quia spirituales, et partibus carentes, et consequenter independentes a tempore, et motu corporali. Non tamen dicuntur indivisibiles, quia solum durent per unum instans nostri temporis, aut illi solum respondeant sed potest habere operationem, quæ correspondeat instanti nostri tem-